

QR.245.

27

MELETEMA
DE

Z 6
4505

אִישׁ בָּנָה

H. E.

VIRO OPPORTVNO

EX LEV. XVI, 21.

GRVNDIGIO

PARTES

EPHORI

FAVSTO OMINE NACTO

ADPLAVDIT IVNCTIS VOTIS PRECIBVSQVE

F R I B E R G A.

HVIC SE CONSOCIAT DE IVRE

SCHOLASTICA PVBES

EXSPECTANS FACILES

FAVTORES ATQVE PATRONOS.

QVOD ROGAT HAC TABVLA

B I D E R M A N N

RECTOR IBIDEM.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

LXXXIX.



Inter omnia fere stata tempora, quae Deus olim ad sacra facienda populo suo praecepit, dies expiationis sanctissimus et religiosissimus erat. Quamvis enim ipsa caussa in dubio sit, qua ille permotus hanc solleunitatem sanciuit, aliis statuentibus, Adamum eo die et lapsum et in gratiam receptum esse, aliis perhibentibus, Cainum atque Abelem primum hoc die sacrificium Deo obtalisse, aliis contentibus, Abrahham cum sua familia eodem die fuisse circumcisum, et aliis affirmantibus, Mosen post ieiunium quadraginta dierum illo die ex monte descendisse: in eo tamen omnes ac singuli consentiunt, quod die ille omnium fuerit sollemnissimus; quem propterea summus legislator **שְׁבָתָה** b. e. *sabbathum sabbathorum* a) appellat, Iudei vero nomine **שְׁמַרְתָּ** h. e. *diei נֶצֶחָה* ab aliis distinguunt. Quo insignior autem atque illustrior ille est, eo diligentius singula momenta considerari merentur, quae illam sollemnitatem ornant atque commendant. Et in his quidem HRCVM EMISSARIVM imprimis eminere, nullum est dubium: quippe qui ingenia ita exercuit, ut vix ullus in argumento viri eruditus maiori contentione quam in hoc desudarint. Non enim solum inter veteres PSELLVS librum peculiarem περὶ τῶν ἀποπομπῶν καὶ litteris consignauit, b) sed multi etiam recentioris aetatis, nominatim IO FRISCHMVTHIVS, c) ABR. CALOVIVS, d) SEB. SCHMIDIVS, e) BERNH. VON SANDEN, f) SAL. DEYLINGIVS, g) IO. VAN DER WAYEN, h) IAC. RHENFERDIVS, i) ANDR. AD. HOCHSTETTERIVS, k) IO. IVST. SONNENSCHMIDIVS, l) G. S. PERNGE-RVS, m) PAVL. SCHAFSHAVSEN, n) SVEN IO. MVNTHE, o) IO. SPENCE-RVS, p) DITHMAR. HACKMANNVS, q) IO. PHIL. HEINIVS, r) BERNH. SEB. CREMERIVS, s) BERNH. PETR. KARLIVS, t) et HENR. CVRTIVS u) data opera hanc materiam sunt persequuti. Quibus addi merentur, quae b, ROM. TELLERIVS w) ad explicandum hoc mysterium idonea attulit, inquirens, cur ad sollemnem illam expiationem hirci, non alia animalia, fuerint adhibiti? quomodo Christus sub hirci imagine praefigurari potuerit, qui alias sub agni imagine repraesentatur? cur duo hirci Deo fuerint consecrandi, qui tamen nonnisi unum sacrificium piaculare constituebant?

Summa igitur huius sacrificii in eo consistebat, ut statio illo die Pontifex Maximus duos hircos coram Ioua sisteret, et, sorte iacta, alterum macaret, alterum autem in defertum

- a) Leu. XVI, 31.
- b) *Leo. Allat.* in Diatr. de Psellis, p. 102.
- c) in II, Disserrt. de hirco emissario. *Ien.* 1664.
- d) in Progr. Acad. quod insertum legitur eius Bibl. Illustr. Vol. I, p. 487.
- e) Diff. de hirco apopompaeo. *Arg.* 1676.
- f) Diff. de duobus hircis Deo oblatis. *Region.* 1699.
- g) Comment. de hirco emissario. in Obernatt. Sacr. P. I. p. 49.
- h) Var. Sacr. Diff. 2.
- i) Comparatio expiationis anniuer-sariae Pontificis M. cum unica atque aeterna I. C. expiatione; quae non tantum subiuncta legitur Traiectui Talm. Ioma a Sheringam notis illustrato, *Faneck.* 1696. sed etiam in *Miscellan.* Groning. T. IV. Fase. 4. p. 567.
- k) Diff. de hirco Azazel. *Tub.* 1707.
- l) Diff. de hirco emissarii ductore. *Ien.* 1719.
- m) Diff. de Afasele. *Vpfal.* 1710.
- n) Comment. de hirco Azazel. *Lips.* 1736.
- o) Diff. de origine et ratione ritus hircorum piacularium ex Leu. XVI, 7 - 22. *Lund. Scan.* 1752.
- p) de Leg. Hebr. Diff. 8. p. 1039.
- q) Praecidan. Sacr. p. 232. lqq.
- r) Obernatt. Sacr. L. II. c. 3.
- s) Commentat. de die magno expiationis in Exercitatt. Prophetico-Typicis. p. 79. lqq.
- t) in Biblioth. Brem. Clasf. VI. p. 222 sq.
- u) Exercitat. de hirco emissarii mysterio, in *Muf. Brem.* Vol. II. P. IV. p. 688. lqq.
- w) in Annotatt. ad scriptur. Sacr. Vet. Test. in Leuit. XVI.

sertum dimitteret. In quorum hircorum constituenda significatione quantum discrepent interpretum sententiae, dici vix potest. Namque ABARANEL statuit, duo illos hircos Iacobum atque Esauum, ductorem autem hirci dimittendi Nebucadnezarem retulisse. Cui portentosae opinioni quin IVVENALIS verba adscribamus, quid vetat?

Qualiacunque voles, Iudaei somnia vendunt. x)

Duplicem Christi aduentum per geminum hircum adumbratum fuisse, IVSTINVS sibi habuit persuasum; y) geminam autem eiusdem naturam indicari, THEODORETVS statuit. z) HIERONYMVS Iesum inactatum et Barrabam dimissum illa imagine finit. a) Et fuerunt, qui Cainum et Abelem typos horum hircorum fuisse, affirmarent: quae sententia unde originem traxerit, VRSINVS docet. b) Eadem nuper in scenam reuocauit, qui regi Sueonum est à consiliis sacris, D. A. C. VON ACKEN, Cainum referens ad hircum in desertum eiiciendum, Abelem autem ad eum, qui morti addicebatur. c) SAM. BOCHARTVS mactatum hircum habet pro typo Messiae morientis, dimissum vero eiusdem resurgentis. d) Quam parum autem commentatores in explicandis duobus his hircis conspirant, tam longe sententiae eorum discrepant in altero, qui Azazel dicebatur, certum ad typum referendo. Namque sunt, qui Azazelem typum Saturni in desertis locis dominantis, cum ABENESRA, Antichristi cum RVERPETO TVITIENSI, hominum omnium improborum cum ORIGENE, nominatim Iudeorum cum PELLICANO, e) vel ipsis diaboli cum SPENERO, BIERMANO, OEDERO, ZELTNERO, ZORNIO, etc. faciunt, quos recentissime Theologus Tigurinus, IO. HENR. HOTTINGERVS confutauit. f) Sunt, qui gentem Israeliticam, ob repudiatum mundi Saluatorem aliquando è terra Canaan eiiciendam atque in exilium relegandam hoc symbolo referri, putant, cui sententiae WAYENIVS et alii subscribunt, nuper rime à cel. Marpurgensium theologo, D. I. G. KRAFTIO exagitatae. g) Sunt, qui cum HERM. WITSIO per alterum hircum intelligunt Christum peccata nostra ferentem, per alterum autem eundem peccata auferente. h) Sunt vero etiam, qui ista imagine Christi discipulos et primos ecclesiae confessores repraesentari, arbitrantur, à Iudaeis misere necandos et omnibus diris deuouendos. i) Omnim vero rectissime illi sentiunt, qui, Christum symbolo huius hirci emissarii repraesentari, aiunt, eumque iam è medio suorum abripiendum, iam in solitudinem relegandum, iam acerbissimis contumeliis onerandum, et tandem pro peccatis hominum tollendum. Quare etiam nomen AZAZEL hircus ille fortiebatur, quod in primis idoneum ad Christum designandum videtur, qui לְאַזָּל, h. e. *fortis abiit*, sc. ad Deum, peccata expiaturus.

Duo vero cum illo hirco ex mandato diuino peragenda erant; quorum alterum in eo versabatur, ut Pontifex Maximus, publice peccata populi professus, suas manus hirci capiti imponeret; alterum in eo consistebat, ut hircus שֵׁדֶן, h. e. certum per virum

x) Sat. VI. 546.

y) Dial. cum Tryph. p. 201.

z) Quaest. XXII. in Leuit.

a) ad Marc. XIV.

b) in Miscell. p. 259.

c) in Originibus rerum Sacr. Sect. II.

c. 4. (Rof. 1756.)

d) Hieroz. L. II. c. 54. p. 660.

e) conf. Willerus in Hexapl.

in Leu. ad h. l.

f) in Ministerio solennis expiationum diei p. 105. (Tigur. 1754.)

g) Observatt. Sacr. (Marp. 1758.) Obs. 2.

h) Aegyptiac. L. I. c. VII. §. 14.

i) Karlius l. c.

virum in desertum deduceretur. Quis vero certus ille vir fuerit, et quem indicauerit, paucis videamus. Quamuis enim follemni illo expiationis die universus populi Israe-
 litici coetus expurgandus esset, non tamen omnes ac singuli ad officia eo tempore pre-
 standa idonei habebantur, sed ^{אֲנָשִׁים} h. e. *viri statuti temporis*, qui etiam ^{אֲנָשִׁים}
^{מְעֻמְרִים} h. e. *viri stationarii* appellati, ex gente Israelitica orti, et pietate erant conspicui,
 nomine uniuersi populi publicis sacrificiis adstare iubebantur. k) Atque ex hoc numero vir
 etiam ille certus fuit, si TALMVDEM audiamus, qui illum ^{אֵל שֶׁי} his verbis describit; l)
^{בַּעֲדָה} ^{אֵל שֶׁה} ^{מִכְרָה} ^{וּרְגִיל} ^{בַּעֲדָה} *qui expeditus esset et exercitatus in ministerio*: quem propterea
 R. ABARBANEL *virum spectabilem* nominat, R. LEVI, qui plurimum iter facere con-
 suevit, describit, R. IONATHAN ab anno praecedenti paratum fislit, R. IARCHI vero
virum ab hebreo die designatum appellat. m) Itaque ^{אֵל שֶׁה} non dicitur, quicunque
 vir illo tempore aderat, qualem Graeci *τυχούτας* dicunt. Vox enim ^{אֵל שֶׁה}, quae est ex nu-
 mero *ἀπαξ λεγομένων*, procul dubio est nomen adiectivum, et quidem ex eorum classe,
 quae qualemcumque relationem rei ad rem complectuntur. Huius autem generis nomina
 in (.) terminata, vel relationem ad personam significant, qualia sunt gentilia e. g. ^{אַחֲרֵי},
 qui originem suam refert ad Iudam, Iudeus; vel ad situm spectant, e. g. ^{אַנְשֵׁי}, qui est
 ad dextrum latus; vel numerum cardinalem referunt e. g. ^{אַשְׁבָּתָה} septimus, ex ^{אַשְׁבָּתָה}, Se-
 ptim, vel à medio actionis dependent, e. g. ^{אַרְגָּנָן} rubicundus, ex ^{אַרְגָּנָן}, rubuit; vel denique tempus designant,
 e. g. ^{אַנְתָּנוֹן}, antiquus, à ^{אַנְתָּנוֹן}, ultima antiquitas. Et ad hanc nominum classem nostrum
 etiam ^{אֵל שֶׁה} pertinere, quis dubitat? Siue enim hunc ^{אֵל שֶׁה} cum LXXI. in ^{אַנְתָּנוֹן}
^{אַנְתָּנוֹן} etrouos, siue cum Chaldaeo in ^{אַנְתָּנוֹן} *virum tempestuum*, siue cum Syriaco in
^{אַנְתָּנוֹן} *virum bene constitutum*, siue cum Persico Interpretete in *hominem tempus callentem* conuer-
 tamus; siue cum IVNIO et TREMELLIO per *hominem commodum*, siue cum CASTA-
 LIONE in *certum quempiam transferemus*; siue cum metaphraste Hispanico eundem
 per *algun varon apociade para esto*, siue cum Italico per *un huomo apposta*, siue cum
 Gallico per *un homme exprés*, siue cum Hollandico per *eene Man, die vorhanden is*, de-
 signemus: omnes certe versiones in eo conspirant, quod digitum ad virum intendant,
 temporibus sapienter utentem, et non modo praesentem, sed etiam ad hircum deduc-
 endum aptum atque paratum. Quantu enim prudentiam temporis recte collocandi veter-
 res Iudei fecerint, inter alia ex eo adparet, quod eadem ex radice (^{רַנְצָה}) unde ^{אֵל שֶׁה} pro-
 germinauit, boni ominis et fructuose admonitionis vel recordationis caussa multa no-
 mina propria depromserunt, filiis suis imponenda, qualia sunt ^{אֵל שֶׁה}, *tempestive* egit Deus, n)
^{אֵל שֶׁה}, *tempus Domini*, o) ^{אֵל שֶׁה}, *tempstive à Deo datus*, p) etc. Namque nomen ^{אֵל שֶׁה}, ex
 quo nostrum ^{אֵל שֶׁה} descendit, vi radicis ^{אֵל שֶׁה}, que nonnisi semel in sacro codice obuersatur, q)
 illud tempus sigillatim indicat, quod Graeci *καιρόν*, Latini autem tempus accommodum, r)
 amicum, s) aptum, t) captatum, u) commodum, w) congruum, x) constitutum, y) con-
 ueniens,

k) Jurius dans l'histoire des dogmes et des cultes de l'Eglise. p. 289.

l) Tract. אֲנָשִׁים. §. 3.

m) in Comment. ad Leu. XVI.

n) 1. Chr. II, 35. XII, 11.

o) Neh. XI, 4.

p) 1. Chr. IX, 4. Efr. VIII, 4.

q) Ief. L, 4.

r) Stat. Theb. VI, 615.

s) Id. Sylu.

V, 2. 38.

Ep. 18.

t) Cels. III, 5.

x) Claudian, Ruffin. I. 315.

u) Suet. Vesp. 21.

w) Cic. Fam. L. II.

y) Caes. Bell. Ciui. III, 19.

ueniens, z) dextrum, a) exoptabile, b) gratum, c) idoneum, d) lectum, e) maturum, f) sumnum, g) oblatum, h) omnium autem frequentissime *opportunum* adpellant. Hac mente DAVIDES sibi inprinis commendatissimos habebat viros, tem-
 porum notitia praeclare instructos, i) quemadmodum consiliarii regis Persarum יְוִישׁ הַשָּׁׁחוֹת, peritissimi temporum, fuisse leguntur. k) Neque aliam ob causam SALOMO שֶׁלֶב, omniū rerum conueniens tempus attendendum docet, l) imo summam sapientiam in recto temporis usū positam esse, ostendit, inquiens: בְּכֵם כִּי תְּמִימָה, tempus et iudicium noscit sapiens; m) et alio loco: רְבָר בְּעֵמָה, quam bonum est verbum, idoneo tempore prolatum! n) Pari consilio PAVLLVS nos iubet ξαρχονεύσθαι τους νεαγούς, temporis opportunitatem quovis pretio cariorem redimere, o) κατέρρει ἴδιῳ θεραπείᾳ, recto tempore metere, p) et εὐκαιρεῖν, tempore opportuno uti, q) cui εἰκασίεσθαι, tempore commodo desitui, opponitur. r) Eandem vero necessitatem opportuni temporis seruandi alii etiam scriptores certatim commandant. Ita enim CHRYSOSTOMVS: σοστὸν ἐστι μέτρα τὰ προσηκόντος καὶ τὰ ποντα ποιεῖν; quantum valet conuenienti tempore omnia facere! Ita PHOCYLIDES monet: s)

καὶ φῶ λατρευεῖν, μηδὲ αὐτοτέλεαν αὐτομοι,
 tempori seruire, neque ventis reluctari. Ita OVIDIUS praecipit: u)

officium est, ut res, ita tempora rerum

Quaerere: quaestio tempore, tutus eris.

Ita VELLEIVS PATERCVLVS: w) tempori non solum est parendum, cedendum, seruicendum, atque assentiendum, sed etiam insidiandum. Et ita LVCANVS: x)
 Temporibus seruire decet. Qui tempora certis
 Ponderibus pensabit, eum si bella vocabunt,
 Miles erit, si pax, positis toga gestiet armis.

Sed è diuerticulo in viam, atque ad illum עמי שמי, virum opportunum, redeamus, quo ductore hircus emissarius in solitudinem expellebatur. Et quoniam totum illud expiationis publicae negotium erat typicum, quis per hunc עמי שמי significatus fuerit, nunc audiamus. Delirat NIC. LYRA et cum illo ORIGENES, y) per hominem illum paratum ipsam rationem humanam intelligentes, que intra nos est, et cuius beneficio bonum à malo discerni debet, quemadmodum hircus ille dimittendus à macfando discernebatur. Et, quoniam haec explicatio minus perspicua videbatur, hanc moralem adapplicationem ORIGENES addit: *Deum expiaturus habeas tecum manum hominis parati,* h. e. lex diuina sit in manibus tuis, et pracepta Dei ante oculos tuos. Ingenium etiam luxurians sapit sententia LVD. HERM. STVMPHI, z) per hircum Azazel induratiōnem Iudeorum, per עמי שמי autem, (vocabulo *Itti* in nomen *Titi* conuerso,) Titum Vespasianum.

z) Ouid. ex Pont. L. III. Ep. IX. 36.

a) Horat. Serm. I. Sat. I. 18.

b) Sil. XI. 387.

c) Hor. II. Ep. II. 198.

d) Nep. XXV, 2.

e) Cels. III, 6.

f) Lucret. IV, 1025.

g) Cic. Philipp. III, 13.

h) Lucan. VII, 238.

i) I. Chr. XII, 32.

k) Esth. I, 13.

l) Cohel. III, 1.

m) Coh. VIII, 5.

n) Prov. XV, 23.

o) Eph. V, 16.

p) Gal. VI, 9.

q) I. Cor. XVI, II.

r) Phil. IV, 10.

s) in I. Corinth.

Homil. 13.

t) Gnom. 115.

u) Trist. I. El. 37.

w) L. II. 21.

x) ad Pison. 143.

y) ad Leu. XVI.

z) in Miscell. Duisburg. T.I, Fasc. III.

p. 389.

Vespasianum intelligentis, à quo illi in desertum expulsi fuerunt. Neque tolerabilius est sententia RAB. GELLI, Angli, quaerentis: a) Wer ist der Mann der Zeit? et respondentis: dieser bereitfertige und vorbereitete Mann ist niemand anders, als das Lamm Gottes, welches der Welt Sünde traegt und wegnimmt: welcher (וְיָמֵן) durch den Richter Israelis, Othniel, (וְיִתְנַחֲלֵל) d. i. die rechte Zeit Gottes, vorgebildet worden, der da kam, da die Zeit erfüllt war. Quod si enim hirci ipsius imagine Christus indicatur, quod negari non potest, hic hircus in desertum ablegandus à viro illo ductore omnino debet distingui. Interpretatio autem vocis לְבָדָק iam in medium adlata, frigida admodum est atque iejuna, quia illa non ex יְמֵן, sed ex יְמֵן et בְּנֵי coaluit, et leonem fortissimum significat. Rectius igitur nomine יְמֵן וּבְנֵי populum Iudaicum intelligi, variis iisque grauibus atque ad comparationem idoneis argumentis probari potest. Nam

1) Sicuti vir ille opportunus per singularem DEI prouidentiam destinatus erat ad illud negotium peragendum: ita Iudei decreti diuini ministri erant futuri, ad Christum maledictionibus onerandum atque in desertum expellendum.

2) Sicuti hic vir opportunus cum reliquo coetu conuenerat ad sollemne et sacrum tempus frequentandum: ita Iudei in festo paschatis die conueniebant, eaque occasione ad Christum tradendum utebantur.

3) Sicuti vir ille constitutus potestatem publice nanciscebatur, hircum in desertum deducendi; ita Iudei publice sibi potestatem arrogabant, cum Christo pro lubitu suo agendi.

4) Sicuti etiam vir ille hircum viuum in solitudinem dimittebat: ita Iudei, Christum vita priuaturi, gentibus eum tradebant, quae in litteris sacris *deserti incolae* appellantur. b)

His praemissis, et relicto hoc viro opportuno, ad TE nunc conuertimur. Vir Summe Reuerende atque Ephore multis nominibus colende. Paucis autem multa complectemur, si dixerimus, TE virum opportunum atque diuinitus datum ad nos mitti. Siue enim prouinciae fuscipienda amplitudinem spectemus, siue TVI nominis famam, quam varia eruditio, pura doctrina, atque integra vita iamdudum TIBI comparsisti, contempsemur; profecto tempore maxime idoneo hac dignitate potiri videris. Quemadmodum enim ex clava Herculem, ex cithara Apollinem, ex linea Apellem, atque ex ungue leonem cognoscimus: ita ex praeclaris Tuis factis non minus quam libris praeclararum TVI animi indolem metimur. Imo iam animo praeuidemus, quantum decoris atque emolumenti in coetum sanctiorem ex Tua fide et laboribus sit redundaturum, perinde ac MAIMONIDES refert, c) socios virum illum opportunum non tantum comitatos esse, verum etiam diligenter omnia obseruasse, quae facturus erat. Itaque non tantum de Te, Viro tam opportuno quam desideris expedito, nobis gratulamus, sed etiam DEVM immortalem consociatis precibus imploramus, ut labores abs TE sustinendos tam subleuare quam fortunare velit. Et hoc quidem eo maiori animi

a) Versuch der Verbesserung der Englischen Uebersetzung der Bibel. p. 321.
c) de die expiat. C. IV. art. 19.

b) Ez. XX, 35.

animi contentione facimus, quo pluribus molestiis Antistitis dignitas circumuallatur. Sicuti enim, MAIMONIDE teste, d) quum hircus piacularis morbo corriperetur, ductor et vir ille opportunus suis ipsius humeris impositum deportare debebat, ut officio diuinatus praescripto fieret satis: ita Tu, Vir Summe Venerande, onus grauissimum cum noua dignitate Tibi imponi sentis. Imo, quemadmodum illum hirci ductorem et virum opportunum Babylonii et alii homines infruneti male tractabant, conuitis exagtabant, et vellicabant; e) ita non deerunt maleuoli, qui obtrectando, conuitando, et vellicando animi Tui tranquillitatem interpellare connitentur, neque tamen à constanza et studio recte agendi TE deficiunt. Nam, quod idem MAIMONIDES commemorat, f) sicuti ductor hirci, ex iejunio longoque itinere viribus fractus, singulari Numinis diuini cura ita corroborabatur, ut vix cibo ac potu indigeret ad negotium illud feliciter exsequendum: ita Tu, diuino praesidio adiutus omnes difficultates ac molestias ex voto superabis. Quod ut fiat, nomen Tuum, quod à *fundamentis* es fortitus, in memoriam retinocantes, et verbis poetae utentes, ita Tibi ominamur: g)

Huic fundamento stabilis fortuna manebit,

Vt placidam possis ex voto ducere vitam.

Iam vero prima pietatis atque obsequii documenta, publice exponenda, benevolē accipe, et conatus pubis scholasticae, quea ad vota pro salute Tua facienda certatim confluit, aequi bonique consule. Et quidem officio suo ex maxima parte sermone ligato satisfacti, prodibunt

ex Classe I.

| | | | |
|------------------------------------|----------|---|--------|
| Christ. Gotth. Meyer, Freib. | L. | Theod. Gottlieb Ehrenhaus, Bischofheim-Luf. | L. |
| Gottfr. Beni. Weber, Freib. | Syr. | Ern. Amadeus Martini, Mückenberg. | L. |
| Io. Gottlob Burkard, Tanneberg. | Angl. | Fridr. Christ. Rauchelbach, Roswein. | L. |
| Io. Christoph Einhorn, Langenau. | Holland. | Io. Dankegott Schneider, Freib. | Ital. |
| Salom. Vogel, Eybenstock. | Hebr. | Christian Car. Kanne, Wolkenstein. | Graec. |
| Io. Gottlieb Irmer, Spechtshaufen. | L. | Io. Aug. Schindler, Penig. | Gall. |
| Fridr. Wilh. Müller, Wildenfels. | Gall. | Io. Aug. Klemm, Oberbobritzsch. | L. |
| Io. Gottlob Krause, Dresden. | Graec. | Car. Christoph. Fridr. Arnold, Mittelsayd. | L. |
| | | Christoph Lebr. Grah, Kötschenbrod. | L. |

ex Classe II.

| | | | |
|--|----|----------------------------------|--------|
| Aug. Sigm. Naecke, Freib. | L. | Christ. Hieron. Hunger, Freib. | Graec. |
| Christ. Gottlieb Wunderlich, Culmnit. | L. | Io. Paul Zimmermann, Rauslitz. | L. |
| Christ. Gottfr. Schmidt, Burkardsdorf. | L. | George Sam. Tzschoeckel, Freib. | L. |
| Christoph Traugott Arnold, Mittelsayd. | L. | Car. Fridr. Enger, Frankenstein. | L. |
| Io. Gottfr. Erler, Voigtsdorf. | L. | Georg. Henr. Herrmann, Freib. | Gall. |
| | | | Henr. |

d) l. c. e) Tractat. Talmud. מס' p. 240. edit. Surenh.
Hakkippur. c. III. §. 7.

f) in Hilcoth. Iom

g) Lucret. L. V. 1120.

764505 QK

Henr. Christ. Reichel, Freib. Gall.
Gottlieb Werner, Herzogswald. L.
Car. Gottlob Mennel, Iohannegeorgenst. L.

Valent. Goitfr. Haentzschel, Crummenh. L.
Christian Gotthelf Doeletsch, Freib. L.
Christian Fridr. Wenzel, Oberbohr. L.

ex Classe III.

Gottlieb Hieron. Krause, Freib. L.
Fridr. Wilh. Mehner, Braeunsdorf. L.
Gottlob Iohne, Mohorn. L.
Christ. Fridr. Woydt, Mittelsayd. L.
Christ. Lebr. Neubauer, Borstdendorf. G.
Wilh. Fr. Sigm. Teucher, Freib. L.

Fridr. Gottlob Gampe, Freib. L.
Fridr. Christ. Gotthilf Schinke, Freib. G.
Car. Chrph. Braune, Hilberdorf. G.
Io. Henr. Zimmermann, Freib. G.
Christoph Salom. Goetze, Muldau. G.
Sam. Beni. Teucher, Freib. G.
Christoph Fridr. Fischer, Freib. G.

ex Clas. IV.

Io. Fridr. Hederich, Freib. G.
Christlieb Imman. Richter, Freib. L.
Io. Liebegott Meyer, Freib. L.

Gottlob Fridr. Reißig, Grünhayn. G.
Andr. Wilh. Klotzb, Freib. G.
Io. Fridr. Freisleben, Freib. G.
Io. Fridr. Aug. Opitz, Klingenberg. G.

ex Clas. V.

Io. Christ. Gottlob Weller von Molsdorf. G.
Christian Gottlob Richter, Freib. G.
Aug. Sigm. Teucher, Freib. G.
Io. Gottlob Wittig, Freib. G.
Aug. Fridr. Kübel, Freib. G.
Io. Sam. Berthold, Freib. G.
Car. Aug. Ackermann, Meissen. G.
Gottl. Hieron. Christian Peschel, Freib. G.

Car. Gotthelf Schoenberg, Freib. G.
Salom. Gottlob Birn, Freib. G.
Christ. Gottlieb Eberlein, Freib. G.
Paul Adolph Klemm, Freib. G.
Christ. Gottlieb Luther, Freib. G.
Car. Gottlieb Pfeil, Freib. G.
Car. Gottlieb Findeisen, Freib. G.
Aug. Fridr. Wilh. Roll, Freib. G.
Hieron. Christian Thimer, Freib. G.

Vos autem, quicunque litterarum studiis fauetis, PATRONI, FAVTORES, atque AMICI, dignitate et meritis conspicui, ut hos tirones beneuola auscultatione dignari, et cras, hora ante meridiem nona in domo à mercatu nomen sortita ad publica vota facienda conuenire velitis, tanta contentione rogamus, quanto studio hunc fauorem demererri connitemur. P. P. Freibergae, a. d. III. Sept, anni

aerae Christianae MDCCCLIX.

VD 18

X 287 1604

m.C.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta



Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



AN.245.

27

MELETEMA
DE

אַיִשׁ בְּגָדִי

H. E.

VIRO OPPORTVNO

EX LEV. XVI, 21.

GRVNDIGIO

PARTES

EPHORI

FAVSTO OMINE NACTO

ADPLAVDIT IVNCTIS VOTIS PRECIBVSQVE

F R I B E R G A.

HVIC SE CONSOCIAT DE IVRE

SCHOLASTICA PVBES

EXSPECTANS FACILES

FAVTORES ATQVE PATRONOS.

QVOD ROGAT HAC TABVLA

B I D E R M A N N

RECTOR IBIDEM.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

LXXXIX.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

